



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Series Episcoporum Archiepiscoporum Et Electorum
Moguntinorum, Trevirensium Et Coloniensium**

Kolb, Gregor

Rottwilae, 1725

VD18 12054054

XXXIV. Christianvs II. Elector XVIII.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-64326](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-64326)

XXXIV. CHRISTIANVS II. ELECTOR XVIII.

CUm bellantibus bellandum est, aut succumbendum. Ita clamârunt, qui hoc seculo in Germania pugnârunt, in partes varias divisi Principes Imperij. Christianus II. in Ecclesia Moguntina à teneris annis enutritus, & post varias suffragiorum vicissitudines Archiepiscopus electus, non nisi annis 3. pedum Moguntinum conservavit: cùm enim copias Wilhelmo Imperatori mittere vel tardaret, vel penitùs recusaret armorum & omnis strepitùs pertæsus Elector, ipsius unaque multorum Virorum Principum incurrit odium tantum, ut multis criminationibus denigratum, & tanquam arduis muneribus minùsabilem etiam Hugo Pontificius Legatus ab officio suo & dignitate removendum judicaverit an. 1251. cùm Romanus Pontifex esset Innocentius IV. Cæterùm credunt Moguntini, Christianum hunc fuisse illum Authorem, qui rei Historicæ apprimè peritus, elucubravat depositionem Henrici IV. Imperatoris; item gesta Arnoldi Episcopi Moguntini, aliorumque Antecessorum suorum.

XXXV. GERARDVS I. ELECTOR XIX.

Gerardus I. Comes, passim Waldgravius appellatus, & si ritè scripsit Bruschius, inter D. Francisci filios virtutibus & literis instructus, tametsi annis fortassis & meritis non admodum valeret, tamen mirabili fato in sublimem Moguntia Sedem evectus, gratissimum sese exhibuit Ebredunensi Archiepiscopo, obscuris artibus Gerardum promoventi, & Christianum II. removenti. An. 1256. Friderico Comiti de Eberstein adversus Albertum M. Brunsvicensium Ducem suum & Dominum pugnantem suppetias allaturus, in prælio captus, & annua captivitate detentus cum Phrygibus sapuit, haud facilè restituendus, nisi Richardus Anglorum Rex, cuius partes sequi decreverat, gravissimâ auri